

Jakob Carmon

## Programma In Festo S. Michaelis

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1721?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003997929>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

---

1721. Michaelis.

~~M-1256.~~ 169.

Mus. 1721

**PROGRAMMA  
IN FESTO  
S. MICHAELIS,**



QVO  
*ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS*  
**RECTOR,**


**JACOBUS CARMON,**

Ph. & U. J. D. Pand. Prof. Duc. Publ. Ord.  
Sereniss. Ducis Mecklenb.  
Consiliar. Consistor.

DE  
*BENEFICIIS ANGELORUM MINI-*  
*STERIO NOBIS PRÆSTITIS*  
differit,

ac  
ad officia pro iis sua  
DEO Præstanda

**O. O. O. Cives Academicos**  
adhortatur.



**ROSTOCHII,**  
Typis JOH. WEPPLINGI, SER. PR. & ACAD. Typogr.

M. 1256 169



**I**N Festo sanctorum Angelorum, quod hodie celebrat Ecclesia Christiana, Vos, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI ! Publicè allo-  
quturi deque differendi materia dispicientis animo illicò obveniebant ingentia bona & beneficia, quæ  
peri illorum operam & ministerium humano generi Supremus Angelorum pariter ac hominum Creator atque Dominus præstat. Horum sæpius meminisse, tam erga Dominum ipsum, quam erga Ministros illius gratitudo postulat : Ideoque huic diui, brevem de illis ad Vosmet discursum instituere, conveniens aptissimumque ratus sum. Et hoc eò magis, quò negligentiora, proh ! in his recolendis mortalium esse solent ingenia, hac ipsâ ingratitude indignos se tantis beneficiis reddentium. Omnino verò & multa sunt & magna, omnium rem accuratius scrutantium confessione, quæ ab Angelorum ministerio  
in

in nos proveniunt, beneficia quibus describendis plenus est sacer sacrarum literarum Codex. Et generatim quidem, graviter tamen de iis Paulus Apostolus (ecquis enim, hunc ejus Epistolæ Scriptorem esse, amplius dubitaverit?) *Ebr. 1. 14.* scribit; *Nonne omnes sunt spiritus ministratori, in ministerium emissi propter eos, qui hereditaturi sunt salutem?* Paucis, profectò, sat multa, & ingentia bona verborum brevitate comprehendit. Non obscurò insinuat, præterquam quod primarius eorum finis celebratio gloriose Majestatis divinæ sit, *Pf. CIII. 20. CXLIX. 3. E/. VI. 3.* in hominum quoque bonum creatos Angelos esse. Quid in enim producti propter eos dicendi essent, propter quos emittuntur? Haud tamen inde concludendum est, eos hominum servos aut ministros dici debere, cum conflet, esse ipsos præstantissimas omnium & excellentissimas à DEO productarum creaturarum. Idque vel ex ipsis hoc dictum Paulinum antecedentibus satis clarè agnoscitur, cum Apostolus excellentiam ac supereminentiam Salvatoris nostri probaturus, ut omnes eum creaturas superare probaret, eum Angelis comparat ipsum, argumento veluti à majoriad minus utens, *v. 4. sequ.* DEI sunt ministri, *Dan. VII. 10.* eiq; soli serviunt; non autem serviunt hominibus, quantum libet inserviant iisdem. Hoc autem quod præstent, intelligitur, cum emissi dicuntur propter eos, qui hereditaturi sunt salutem. Quod si verò jam speciatim inquirere nobis propositum est, in quibus igitur præcipue nobis inserviant? quæque ab illis, jussu DEI, accipiamus beneficia? Non equidem id mihi sumo, ut ea omnia enumerare, aut pro merito de prædicare singula in me suscipiam. Nam multitudo illorum & varietas admodum

magna est, ut conjecturâ non difficili assequar, me recensendis illis omnibus atque singulis non esse, tantum abest ut, ceu postulant atque merentur, debitis eadem elogiis efferre valeam. Sive enim omnes in communi homines spectemus, sive singulorum in Status (quemadmodum tres Hierarchici, ceu dici solent, hominum in hoc mundo in Rebuspublicis degentium Status non ineptè constitui solent, quicquid contra Recentiorum Jctorum quidam, Fanaticorum fortassis in gratiam, adversus hancce Statuum distributionem obtendere amant) oculos convertamus nostros dici vix potest, quantus beneficiorum, queis Angeli nos afficiunt, in nos cumulus redundet. Non equidem existimaverim, quempiam fore, qui horum descriptionem Jctorum à statu aut officio remotam sit arbitraturus. Sunt enim hæc non merè Theologici fori: quanquam facillimè concesserim, Theologorum ea publicè docere peculiare munus esse; sed dum praxin Christianismi spectant, meditationem illorum abs nemine Christianorum, quocunque ceteroquin in Statu vixerit, alienam censeo reputandam esse. Ideoque, non incongruè me facturum, nec vitio mihi verisum iri, existimo, si à Jcto quodam, qui pietatis laudem apud ipsos Theologos consequutus fuit, ab eâdemque post fata etiam celebratus, suo sanè exemplo quod in Jurisprudentiæ addictos, dum impietatis eos insimulant, sine discrimine dici à vulgo hominum solet, notum illud diciturum, sufficienter refutans; beneficia, quæ DEus per Angelos nobis exhibet, è Scripturis collecta & enumerata heic sistam. Indigito autem magnorum meritorum ac immortalis apud posteros famæ Jctum,  
JOHAN.

**JOHANNEM BRUNNEMANNUM**, qui in *Meditationibus Sacris ad ductum Evangeliorum Dominical. Medit. LIV. in Feß. Michäel. p. 460.* hæc nobis repræsentat Angelica ministeria propter nos & beneficia inde in nos redundantia. Conditi sunt, (Angeli scilicet) inquit, in ministerium nostrum, *Ebr. I. 14.* (1) ut nos ab ortu custodiant, vocantur enim in Evangelio puerorum Angeli. *Gen. XXI. 17. Matth. II. 13. 20. XIIX. 10.* (2.) Methodias, seu infidias Diaboli patefaciant. *Ep. Jud. v. 9.* (3.) Ad bonum stimulent. *Gen. XVII. 7. 8. 9. Tob. XII. 7. 20. Actor. X. 3. 5.* (4) In bono proposito adjuvent. *Jud. XIII. 16.* (5.) A malo dehortentur. *Numer. XXII. 32. Apoc. XIX. 10. XXII. 9.* (6.) Corpora nostra titubantia â lapsu defendant, & varia pericula, quæ nocte dieque imminet, avertant. *Genes. IX. 10. 16. Ps. XCI. 11.* (7.) Corpora nostra sanent, & medicamentis benedicant. *Tob. VI. 10. Job. V. 9.* (8.) Diabolo resistent. *Dan. X. 13. 20.* (9.) Venenum avertant. *2. Paral. XXI. 15.* (10.) Incendia ac furta impediunt. *Dan. III. 26.* (11.) A militum furore nos defendant. *2. Reg. VI. 16. 17. Job. I. 10. Ps. XXXIV. 2.* (12.) Rei familiari variis modis benedicant. *Gen. XXXI. 11.* (13.) Persecutoribus Ecclesiæ ac piorum se opponant. *2. Paral. XXXII. 11. Ps. XXXV. 6. Act. XII. 7. 23.* (14.) Peccandi occasionem nobis subtrahant. *Judith XIII. 20.* (15.) Terrores varios & Satanicos amoliantur. *Ps. XCI. 5.* (16.) Nos peregrinantes & ambulantes comitentur. *Gen. XXIV. 7. 40. XXXII. 1. 2. Tob. V. 23. 25. Ps. XLI. 15.* (17.) De nostris bonis operibus attestentur. *Actor. X. 4.* (18) Pacem procurent publicam & domesticam. *Dan. X. 13. 16. v. 19. Marc. XVI. 6. Luc. I. 30.* (19.) Solatio suo nos erigant. *Luc. XVI. 22.* (20.) Et tandem animas nostras in sinum Abrahæ deportent, Quæ &

multa alia beneficia per varia exempla in Sacra & profana historia probantur. Hactenus laudatus BRUNNE-MANNUS. Cui omninò adstipulamur, quod longe plura, quam hîc recensentur, variique adhuc generis sint per Angelorum ministerium nobis vel quotidie provenientia beneficia & bona. Sed nec nobis, per chartæ spatium, nunc quidem licebit esse prolixioribus: fortè quod nec ex nostrâ descriptione, ob nimiam eorum multitudinem atque diversitatem, omnia exhaurire queamus. Extra dubium itaque positum nobis est, & multa & insignia nobis à DEO, per Angelorum ministerium, bona fieri beneficiaque. Num ad hoc DEUS vel unum vel plures Angelos singulis hominum attribuat? equidem definire nolo, certus, id à nemine mortalium definiri posse. Arbitrii hoc divini est, quot & quosnam mittere velit, qui omnes eos emittit. Nugantur è Gentilibus, qui cui libet hominum unum Angelum bonum, unumque malum assignant. Nec ab ineptiis prorsus remoti Pontificii sunt, pro uno cujusvis Angelo tutelari atque custode decertantes, quem adeò ex Scripturis probare nequeunt, ut potius ex eadem, plures nonnunquam ad unum hominem missos fuisse, exemplo præsertim Lothi, *Gen. XIX. 1.* Jacobi, *Gen. XXXII. 1. 2.* Elisæi, *1. Reg. VI. 16. 17.* Lazari morientis, *Luc. XVI. 22.* quam apertissimè constet. Ut ut vero de iis sit, nostrum nobis etiam, ex Angelorum beneficiis resultans, officium in memoriam revocemus, conveniens & æquum est. Cum ex DEi, supremi illorum Domini, jussu ea nobis beneficia præstant, eumque in finem abs illo emittuntur; id propter ipsi pro illis ante omnia gratias agamus, illiusque laudes ac gloriam celebremus

bremus. Et quoniam nulla præterlabitur dies, quâ non, custodia auxilioque sanctorum horum spirituum fruamur, Indies quoque propterea gratum DEO animum testemur, oraque nostra ipsius resonent laudes. Sed & hoc agamus, oportet, ut ne indignos tantis, quæ Angelorum bonorum ministerio nobis obtingunt, beneficiis nos ipsi reddamus. Cogitemus, Angelos puros sanctosque spiritus esse, adeoque sanctitate ac puritate delectari, impuritatem autem averfari ac fugere improbitatem omnem. Hac igitur qui bonos a se Angelos avertunt fugantque, non possunt non malorum in consortium incidere, quod uti vitiis atque peccatis facillimè conflatur; sic valde perniciosum animabus ac exitiosum existit. Sunt enim bonorum & malorum Angelorum studia atque conamina prorsus ~~contraria~~ contrariaque. Ut enim illi, ex amore erga nos, salutem nostram invigilant, eamque quærunt ac promovere student; ita hi, odio in DEum atque homines æstuantes invidiamque insatiabili, nihil non moliuntur eorum, quæ DEi gloriæ derogent, hominumque officiant salutem. Sic enim Petro I. *Epist. V. 8.* Diabolus dicitur adversarius noster, tanquam leo rugiens obambulans, quærens, quem devoret. Ab eo igitur nobis caveamus, quò tantò felicius sanctorum Angelorum consortio, custodia & beneficiis, quæ nobis præstare, ut spiritus administratorii propter nos à DEO emissi, paratissimi sunt, gaudere fruique queamus. Hæcque DEO, Angelorum ut Conditori, sic & Domino, eosdem propter nos emittenti, debemus, ut & gratias illi tantis pro beneficiis angelico ministerio interveniente nobis, in nostram temporalem pariter atque æternam

æternam salutem, præstitis agamus, & voluntati ejus obsequiosos nos demonstramus. Quæ verò nostra sint adversus Angelos officia, memini, ante biennium superius me, cum falces Academiæ tunc etiam tenerem, Programmate de Festo Angelorum ritè ac decenter peragendo ex instituto proponere. Quapropter nihil nunc amplius sum additurus, nisi quod Vos, *Cives Academici Honoratissimi!* Studiose hortor moneamque, officiorum vestrorum utrinque, & erga DEum, ceu Dominum, & erga Angelos, ceu ministros ipsius, gnayiter observantes sitis. Utque semper nos DEus Angelorum beneficiis frui jubeat atque concedat, quotidie cum supra laudato B. BRUNNEMANNO *l. c. p. 466.* precemur: O DOMINE, qui admiranda Providentia tua Angelos tuos sanctos custodia nostra causa emittere dignatus es, concede nobis orantibus, ut custodia Angelicâ tuti conservemur, & eorum conversatione & sodalitiâ æternam lætemur, per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, qui cum Spiritu suo sancto tecum regnat unus DEus in secula seculorum, Amen!

*P. P. sub Sigillo Academico*  
**in Festo S. Michaelis,**  
d. 29. Septembr. Anno MDCCLXXI.







bremus. Et quoniam nulla præterlabitur dies  
custodiâ auxilioque sanctorum horum spirituum  
indies quoque propterea gratum DEO animum  
oraque nostra ipsius resonent laudes. Sed & h  
oportet, ut ne indignos tantis, quæ Angelorum  
ministerio nobis obtingunt, beneficiis nos ipsi  
Cogitemus, Angelos puros sanctosque spiritus  
que sanctitate ac puritate delectari, impuritat  
aversari ac fugere improbitatem omnem. Hæc  
bonos a se Angelos avertunt fugantque, non p  
malorum in consortium incidere, quod uti vit  
peccatis facillimè conflatur; sic valde pe  
animabus ac exitiosum existit. Sunt enim b  
malorum Angelorum studia atque conamin  
ἀσύνετα contrariaque. Ut enim illi, ex amore  
saluti nostræ invigilant, eamque quærunt ac p  
student; ita hi, odio in DEum atque homines  
invidiâque insatiabili, nihil non moliuntur eor  
DEi gloriæ derogent, hominumque officiant. S  
enim Petro I. *Epist. 7. 8.* Diabolus dicitur adve  
ster, tanquam leo rugiens obambulans, quæren  
devoret. Ab eo igitur nobis caveamus, quò  
cius sanctorum Angelorum consortio, custodiâ  
ciis, quæ nobis præstare, ut spiritus administ  
pter nos à DEO emissi, paratissimi sunt, gaude  
queamus. Hæcque DEO, Angelorum ut Con  
& Domino, eosdem propter nos emittenti, d  
& gratias illi tantis pro beneficiis angelico  
interveniente nobis, in nostram temporalem par

